

videret, totâ mente, omnibusq; viribus in id incubuit uni-  
cè, quo tales filijs suis, in utroq; vita genere, tam togato  
quàm armato, præficeret, qui & morum concinnitate, &  
rerum usu alijs præcellerent, quiq; filios tum in bonis ar-  
tibus, tum in exercitijs bellicis prudèter possent instituere.

Hos autem, & alios, quorum operâ & consilio in va-  
rijs, illisq; gravissimis Aula Illustrissimæ negotijs uteba-  
tur, nec nimis indulgenter, nec parcè nimis aut duriter  
habuit; tam lautè tamen, & liberaliter tractavit, ut non  
solum ipsi stipendijs suis amplissimis possent esse contenti,  
sed et occasionem etiam haberent, Principis Munificen-  
tiam, & liberalitatem summis efferendi laudibus. Re-  
quam autem servorum turbam tantâ severitate cobi-  
buit, omnemq; prorsus licentiam ademit, ut nemini, quod  
aliàs fieri adsolet, essent molesti. Hinc nulla in Vrbe tur-  
ba: nulli exaudiebantur tumultus, sed omnia pacata,  
quieta erant omnia. Talem vitam quis in Aulis non pro-  
bet? quis tam suavem ordinem non admiretur? quis non  
beatum existimet Principem, cui talia cura?

Sed de privatâ Principis Celsissimi vitâ satis dictum  
est. Videamus nunc etiam, quomodo in civilibus seu Po-  
liticis expeditionibus se gesserit. Nam ut nemo sementem  
facit, qui futuram messem non speret, sic frustra domi  
vivitur, nisi exinde communis hominum juvetur socie-  
tas. Quoniam enim (ut præclare post Platonem à Cice-  
rone scriptum) nemo sibi solum natus est, sed ortus nostri  
partem

partem

